

modo Calvinus circa locum cit. sequentia profert: *quanquam non exprimit diserte Evangelista, quisnam dies hic fuerit, probabilis tamen conjectura est, Pentecosten notari;* secutus in ea opinione ex Veteribus *Chrysostrum & Cyrillum* apud *Bezam*, citatos à *Matthæo Polo* ad h. l., & *Epiphanium*, quem prioribus addit *B. Chemnitius* in *Harm. Proleg. Cap. III. p. 10*: sed etiam ex Nostris *B. Egid. Hunnius* in *Comment. ad b. l.*, iudico, inquit, aliud (præter Pascha) *solemne Judæorum festum, nempe vel Pentecosten vel Tabernaculorum* intelligi. Ratio inter alias, quas afferunt, hæc est: quod verosimile non sit, Evangelistam, qui capite II, & cap. VI. mentionem injicit Paschatis, hoc quoque capite de Paschate quodam agere, quæ ratione ille quatuor capitibus biennii periodum complecteretur. Verum, ut hæc ratio valde invalida est, quia nobis non convenit Spiritui S. præscribere, quot capitibus ea complecti debuerit, quæ de gestis Christi revelare nobis voluit; ita sententiæ suæ non possunt firmiter inniti istius patroni, quam & *Calvinus conjectura* tantum nomine appellat, addens: *de ea re non contendo*. Quod enim Pascha hoc loco intelligatur, patet ex *Joh. VI. 4*, ubi videtur quasi explicatio extare hujus loci, dicente *B. Chemnitio* ad b. l., quia ibi legitur, ἡν̄ ἡ ἑγὼς Πάσχα ἡ ἑορτὴ τῶν Ἰσραήλων, atque sic Pascha speciali ratione *Festum Judæorum* appellatur, utpote quod præcipuum fuit inter festa Judæorum, propter memoriam liberationis *Egyptiacæ* & significationem liberationis spiritualis, per *Messiam, Christianorum Pascha* 1. *Cor. V. 7*, præstandæ. In præsentia itaque nostro Textu *Joh. V. 1*, ἑορτὴ τῶν Ἰσραήλων per *Antonomasian* denotat ipsum *Pascha*, eadem ratione, ut per *Apostolum* solemus *Paulum* intelligere. Neque desunt clara talis acceptionis exempla apud Evangelistas, e. g. quando Judæi *Matth. XXVI. 5*, consultantur nolunt Christum occidi ἐν τῇ ἑορτῇ, *Paschatis* Festum intelligendo juxta versum 2, quod tamen postea factum occasione proditionis Juda, ut pateret, Jesum esse verum nostrum *Pascha* 1. *Cor. V. 7*. Imò ne articulus vocis ἑορτῇ appositus differentiam à loco nostro Johanneo indicare videatur, audiamus *Lucam* *Cap. XXIII. 17*, ubi innuit, consuetudinem fuisse, ut dimitteretur quidam ex captivis κατὰ ἑορτῶν. Etsi enim Pascha indicetur juxta

cap. XXIII